

poli, Messinæ, & in Melite Insulâ, naufragio Paulino clarâ, ac aliis locis, intra & extra Europam celeberrimis, partim reperta seculo nostro, partim hodiernum reperiri, occasione quadam descripsi in editâ non ita pridem Navigatione in Orbem Novum, sive Utopiam eruditam.

Sed quis in Conclave alienum delatus, vel atomum rei selectioris tangat, frangat, capiat, rapiat, invito Domino? Cernas multa passim, & ob multitudinem vix discernas; legas oculis, manu verò haut colligas. Et in summâ posset quis dicere: Quid juvat adspectus, si non conceditur usus?

Age itaque, ut præcipuus tamen, h. e. medicus, Rerum istiusmodi, in certa Scrinia dispositarum, Usus ita aliquando commonstretur, ut Spectatores etiam commodum aliquod domi aliquando sibi met profuturum, inde hauriant; offero Curiositati Ipsorum tale quid, cui simile vix alteribi facile experti fuerint: & hebdomadatim in Habitaculo meo bonam mei memoriam in Conscientiis Eorundem ita pro virili obsignaturus sum, ut sine Peregrinatione multiplici, Oculi Ipsis in Amphitheatro Mundi magis magisque aperiantur, & depositis prorsus ex animo omnibus præjudiciis ex Galeno aut Aristotele (qui etiam fertur fuisse Medicus) sensim adsuefiant Experimentalis Studio:

quo videlicet Corpora Naturæ varia, apta Usibus Medicis, ex triplici Regno ejus, Animalis, Vegetabili, Minerali, undecunque à me, à plusculis annis conquisita, vel Ipsi manibus suis tractabunt, permittente Me, gustabunt, odorabuntur, contuebuntur, ponderabunt in diversis Mediis, frangent, terent, liquefacient, indurabunt, fundent, formabunt, miscebunt cum aliis, aut solvent, Microscopio supponent, examini Ignis, Chirurgicis Operationibus, aut Cultro Anatomico (si præsertim Animalia viva, Pisces marinos minus notos, Aves sylvestres, Quadrupedia, &c. pro re natâ conferre poterunt) subjicient, varièque mutabunt ac permutabunt, & cum

Auto-